

Letter 46a: 13 June 1520, Mainz, Capito to Thomas Truchsess

Printed as the dedicatory letter to Hermannus Buschius, *Hypanticon illustrissimo principi et clementissimo antistiti Spirensi, Georgio Comiti Palatino Rheni, super solenni suo in Spiram urbem introitu, dicatum* (Basel: Cratander, 1520), f. [A1]v.

Nobili et erudito viro, Thomae Thrusses, decano Spirensi, Wolfgangus Fabritius Capito s.d.

Reliquit apud me Hermannus Buschius carmen elegans de illustrissimo principe Georgio Palatino, episcopo Spirensi, honorifice suscepto in urbem suam, quod mihi quidem videtur supra huius seculi felicitatem quiddam spirare. Inventio laeta est, sub poetico involucro tegens gravissimam philosophiam. Phrasis autem latina, facilis, explicata expressaque, sine duritie, sine hiatu, ut diceres aut liberam uberi ingenii orationem aut Horatianam illam naturalitatem. Adeo fundit omnia velut aureo fonte consequentissime. Nativum opinor illi, tum invenire, tum eloqui. Qui enim potuisset alioqui omnia tam aequabiliter et prompte? Dignationi tuae id erat nuncupaturus, quantum ex eo inter coenandum intellexi ubi diligenter praedicavit de te summam hospitalitatem, candorem, amorem erga literatos: quoniam sis ipse, ut ille ait, et ego perspectum habeo, abunde literatus. Itaque te virum tali principe, ornatissime Thoma, dignum, non tam ob splendoros natales quam ob clarissimam eruditionem, probitatem morum, fidem in rebus agendis summam, oro vehementer, ut suscipias benigno animo laudem hanc episcopi et ipsum simul laudatorem. Illam quidem, cui applaudas et faveas, hunc autem quem adiuves foveasque, nimirum in literis et inculpata vita tam insignem, sed fortunam hactenus se indignam perpersum. Adeoque princeps optimus praeconium eiusmodi tum videbitur vere meruisse, postquam te monitore suum illum encomiasten bearit aedideritque in eo liberalis animi specimen.

Coeterum quod Erasmus effigie sui de vivente expressa te donarit singulare est testimonium animi eius erga tuam amplitudinem. Iure eam magni ducis, quod alterum dimidium Erasmi iam tibi repraesentat. Nam alterum, nempe animi simulacrum, ex libris pridem hausisti. Coniuncta corporis imagine, ipsissimum habebis Erasmus. Oculis quidem lineamenta, pectore autem divini illius animi sensa, dum lubet, comprehendes. Vale, et Buschium et Capitonem ama, uterque enim ex aequo tuo honori studemus. Moguntiae, pridie Idus Iunii anno XX.